

pariter Psalmista aspidis meminit, obturantis aures, ne murmur Incantantis audiatur, nihil aliud insinuare voluisse, quam ut vincere veneficii malignitatem anguem illum designet. Excusationem ille Veneficorum prædixisse videtur, quippe qui impotentiam artis suæ & imperitiam excusaturi, cur minus incantationes valeant anguem ipsum effecisse, furdas carminibus aures præbentem, spargunt. Non tamen prorsus negaverim, Magiam omnem & incantationes nec intercedere posse unquam, nec in angues veterum quorundam operâ intercessisse; sed rarius illud quam pro opinione. Profectò plus nimio Diaboli virtuti tribuisse perniciosum est; sed in aliam extremitatem recidisse, ut scilicet omnia ad physica & naturæ leges explicentur, non minus est exitiale. Suis terminatur limitibus Dæmonis potentia, nec quidquam nisi ad nutum Creatoris agere permissus est. Annuente Deo Magi Pharaonis virgas in angues transmutant; sed eo renuente nunquam Magorum colubri Mosaicum vorare potuerunt, à quo tamen illi vorati sunt (z). Simili prodigio Magi illi aquas in sanguinem vertunt (a), ebullire terram in ranas iusserunt (b); sed in muscis producendis virtus illorum defecit (c), coactique tandem & inviti facti sunt: *Digitus Dei est hic*. Ita planè Deus permittit interdum Dæmo-

z Exod. 7. 11. 12.  
a Ibid. ver. 19. 21.  
b Ibid. cap. 8. 3. 7.  
c Ibid. vers. 18.

ni Magisque, ut angues excantent; simulque præscriptis eorum potestati limitibus, aliqua, quæ maxime vellent, rogantibus non indulget. Accidit etiam non raro, ut iusto Providentiæ consilio idem Magus ipsum perniciose artis exercitium exitiale sibi experiatur. Dæmon quippe, qui hominum exitio nunquam non studet, Magorum jussionibus contemptis credulos sepe decipit, incautosque in foveam præcipitat.

Cæterum facile, quantum assequor, intelligimus, omnia quæ in Scriptura de Magia & incantationibus referri possunt, nihil autoritatis exitiali illi arti vel Artificibus conciliare. Quod enim re malum est, nunquam licitum efficeretur. Porro mala esse incantamenta & maleficia, quæ Deus expresso mandato & capitali poenâ in Lege prohibuit, (d) quis neget? Nihil iustitiæ & æquitati naturali Creatoris magis repugnat. Si res in Scripturis relata, & quodammodo etiam laudata satis daret ad malum agendum facultatis, liberum esset cuique Judicem illum in Scriptura memoratum imitari, qui nec Deum aliqui nec homines reveritus, importunitate tamen rogantium concessit, quod æquitati negaverat (e); sive famulum illum infidelem, qui amicos sibi è facultatibus Domini sui concilians, prudentiæ à Domino laudatur (f).

d Deut. 18. 11.

e Luc. 18.

f Luc. 16. 2.

# DISSERTATIO IN AUTHORES PSALMORUM.

**O**mnium Poeticarum Lucubrationum Collectionem, quam noverimus, vetustissimam esse Psalterium negaverit nemo. Ipsi horum Carminum Authores & carmina, multò carmina & Poetas totâ vetustate celebratissimos superant. Vetustissimorum Græcorum carminum argumentum in Theologia quadam & Religione commentitiâ æquè & stultâ, vel saltem in expeditionibus ad arbitrium confectis, aut in chimærica quadam virtute, insanis amoribus, agriculturâ, ludisque solâ vanitate & levitate Græcorum celebratis versatur. Sunt, quas præscribunt, imperfectissimæ moralis regulæ, quibus vitia ipsa suorum Authorum plurimum derogant; super hæc, carmina quadam corruptissimorum Numinum laudes celebrant, quorum vitia flagitium quodcumque humanum superant. Eò potissimum collimant carmina omnia Paganorum. Quales verò eorum Poetæ? gens interdum obscuris orta natalibus; in eo semper vitiosa, quodd nobilissimum ingenium & calamum foedis amoribus vitiosque insinuandis deturpaverint; quibus superstitioni cultus conciliabatur, quibus de-

bitæ virtuti laudes, crimini tribuerentur, veneri, ambitioni, auidaciæ, impietati. Nihil simile apud Hebræos, quorum Vates Divino Spiritu afflati viri, morum sanctitate, ingenii præstantiâ, corde puro, integrâ religione, spectatâ virtute, & sapientiâ, natalium etiam claritate commendabantur. Recensentur enim inter Poetas Sacros Herôes, Reges, Principes. Quod verò carminum argumentum? Religio, Numen, opera Dei ejusque attributa, laudes, mysteria, Leges & moralis disciplina; regulæ; historia populi Dei servitiis addicti, quam ferè totam Divina hæc Scripta complectuntur. Epinicia sunt relatæ victoriæ, & grati animi à Regibus, Ducibusque religiosissimis posita monumenta. Accedunt vaticinia adventûs, Regni, rerum gestarum, mortis, & resurrectionis Jesu Christi hominum Servatoris. Moralis disciplina gravis puraque dogmata sunt, solida pariter & sancta; omnia tandem ad religionem, pietatem, virtutem, sapientiam composita. Hæc Librorum sacrorum carmina; nec alios populum Dei decet Poetas.

Licet autem ad inquirendos singulorum Psalmorum Authores nullâ utilitatis nec

a Theodoret. Prefat. in Ps.

cessitate adigamur, quemadmodum Sancti Patres animadvertunt [a], cum satis superque habeatur, omnia Divino Spiritui afflati tribuenda: *Cum ejus*, ait S. Gregorius in Job cap. 1. n. 2. *rei Spiritum Sanctum auctorem tenemus, quia Scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo percontamur?* non est tamen cur reprehendatur eorum studium, qui ad inquirendum de Authoribus Divino Spiritu afflatis operam suam conferunt; quorum in ea re labor non ædificationi tantum nostræ, sed & instructioni conferre plurimum nocitur. Non enim Deus ad munus Propheticum homines vocat plerumque, nisi quorum vita morum disciplina est; nihilque cum illis intentatum relinquit, quò ad sanctitatis & perfectionis culmen deducat. Viam illis struit per mediam aquam & ignem, deprimit, extollit, vexat, quò magis magisque perficiantur; & in omnibus vitæ statibus viros illos exercens, exemplar omnium hominum conditioni & omni pariter vitæ statui proponit. Amanuensem quidem Epistolæ seu Scripti alicujus, quamvis eximit, cur sedulo quæramus nihil est; nihil pariter de calamo, quem potissimum Scriptor adhibuit; sed qua occasione, qua de causa, qua temporis circumstantiâ, quis Author Divino Spiritu afflatus, quem sibi finem scribendo proposuit, intellexisse non modicè confert. Vix enim alioqui verus Scripti Operis sensus penetraretur; & Liber, quem his omnibus inexploratis legendum suscipimus, veluti Liber habendus est sigillo obfignatus, qui literas ignoranti legendus traditur. David, vel quis alius Psalmorum Author, sibi potissimum scribebat, & quos in se experiebatur, obsequii, amoris, fidei, charitatis erga Deum sensus promebat; ipse se instruit, suæ laborat ædificationi, & in laudibus Creatoris sui se ipsum exercet. Æquè tamen & nobis scribebat, ut ejus mentem nosse ad nos pariter spectet. Qui autem poterimus, dum Scriptorem ignoremus? Perinde ne habebitur seu Levita vel merus Propheta spectetur, qui coram Domino provolutus crimen suum profitetur, ac tantus Rex, qui regio factu abjecto, humilem criminis sui confessionem profertur?

In assignandis Psalmorum Authoribus varia est Patrum sententia; aliis uni Davidi omnes tribuentibus; aliis tribuendos negantibus. S. Chrysostomus in Ps. 50. S. Ambrosius Præf. in Ps. 1. S. Augustinus de Civit. lib. 17. cap. 14. Theodoretus Præf. in Ps. Cassiodorus Prolog. in Ps. Euthymius Præf. in Ps. Philastrius Her. 79. priorem sententiam defendunt; posteriore S. Hilarius Prolog. in Ps. Pseudo Athanasius in Synopsi, S. Hieronymus Ep. ad Sophron. & Ep. ad Cypr. alique fecerunt. Utraque hæc opinio Scriptorum turbâ defenditur; modò singularum rationes expendendæ.

b Matth. 22. 42. Luc. 20. 41. Marc. 12. 36.

Quæ Davidem totius Psalterii Authorem defendit sententia, illud habet præ alia commodi, quodd nunquam in Novo Testamento ex Psalmis sententiæ laudentur, nisi sub Davidis nomine (b). Ita

sanè locutos scimus Jesum Christum & Apostolum Petrum ad Judæos (c), ad carpendum si quid absonum audissent intentissimos. Nec prætereundum est, Apostolum Petrum sub Davidis nomine laudasse sententiam ex secundo Psalmo, qui sanè in originali Sancti Regis nomine non inscribitur. Recepta igitur tunc temporis opinio apud Judæos ferebat, totius Psalterii Authorem habendum esse inclytum hunc Vatem & Psalterem Israelis, quo duplici titulo ipse sibi placet 2. Reg. 22. 1. *Dicit David filius Isai, egregius Psalterem Israel: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.*

In solemnem Templi Salomonici dedicatione nullos alios hymnos norant Cantores quam Davidis: *Levita in organo carminum Domini, quæ fecit David Rex ad laudandum Dominum. . . . Hymnos David canentes per manus suas (d).* Cum Ezechias Divinum in Templo Jerosolymitano cultum restituendum suscepisset, præcepit Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David & Asaph Videntis (e). Porro Asaph Princeps erat Cantorum sub Davide. Post captivitatem Babylonicam secundi Templi dedicatio laudibus Domini celebratur in Cantibus Davidicis, & instrumentorum, quibus Rex ille usus fuerat, harmoniâ [f]. Nehemias inito colligendorum sacrorum Librorum consilio, Psalmos David (\*) cum scriptis Prophetarum & Literis Regum collegisse legitur. Davidis studium in constituendis Cantoribus sacrisque Cantibus pangendis in usum Altaris Domini, commendat Eccli. 47. 10. *Stare fecit Cantores contra Altare, & in sono eorum dulces fecit modos.*

Perpetuus Ecclesiæ & Ecclesiasticorum Authorum stilus Psalterium nomine *Psalterium Davidis* designat; laudatque non semel eum Librum vel singulari *Propheeta* nomine vel Davidis (g). Id porro vetustâ aded & uniformi consuetudine obtinens, non nisi ex receptâ apud omnes persuasionem repetendum est, quæ totius Psalterii Authorem Davidem tenet. Plus aliquid audeat Philastrius Hæres. 79. cui Hæreticum audit, quicumque aliis Authoribus præterquam uni Davidi Psalmos tribuerit. Theodoretus post relatam eorum sententiam, qui Core, Ethan, Asaph, alioque Authores statuunt eorum Carminum, quæ illorum nominibus inscribantur; post discussa insuper rationum in eam rem momenta, concludit tandem: *Vincat plurimum sententia; plures enim Scriptores Davidis asserunt esse [h].* Idem nihilominus Theodoretus in Titulum Psalmi 72. eam opinionem non satis assertam habuisse designat; fatetur enim nihil certi definire se, sive quoddam Asaph Author ejus Psalmi, sive quoddam musicus tantum credatur. S. Chrysostomus in Psal. 50. observat, Davidem in suis Psalmis non res tantum à se gestas, non bonam tantum malamque fortunam suam descripsisse, sed & vices expressisse Judæorum, qui à Nabuchodonosore in captivitatem deducti sunt; sicut & vitam, mortem, & resurrectionem Jesu Christi.

c Act. 2. 25. 35. Vide & Acta 4. 24. 25.

d 2. Par. 7. 6. Vide etiam 1. Par. 23. 5.

e 2. Par. 29. 30.

f 1. Esdr. 3. 10. 11. & 2. Esdr. 12. 35. 39. \* 2. Esdr. 2. 13.

g Cassiodor. Prefat. in Psal. Usus Ecclesiæ Catholicae Spiritus S. inspiratione generaliter & immobiliter tenet, ut quicumque eorum Psalmorum cantandus fuerit, Lector aliud prædicare non audeat, nisi Psalmos David. h Pref. in Ps.

Christi: Nam, ait, omnes quidem Psalmi ab eo (Davide) dicti sunt; at non omnes de eo. S. Ambrosius Præfat. in Psal. David principaliter ad hoc munus selectus est (nempe Psalmos scribendi), ut quod in aliis rarum præminere aliquo opere videtur, in hoc jure & continuum resurgeret. S. Augustinum utriusque sententiæ fautores in partes suas trahunt; namque in Annot. in Ps. luculenter asserit: Non omnes Psalmi à Davide editi sunt. David solus novem Psalmos ore proprio cecinit; reliquos autem ab illis quatuor Principibus (Asaph, Eman, Idithum, Ethan) juxta titulorum inscriptiones sunt dicti. Verùm hæc è Textu Augustini verba, tanquam alienâ manu intrusa, à peritissimis Criticis rejiciuntur. Desunt enim in omnibus Mss. & ipsi etiam S. Doctoris menti repugnant; quippe qui in lib. 17. cap. 14. de Civit. Dei post refutatam eorum opinionem, qui Davidi tantum tribuendos eos Psalmos arbitrabantur eâ inscriptione notatos, Ipsius David, suam promittentiam in hæc verba: *Mibi credibilitas videntur existimare, qui omnes illos centum & quinquaginta Psalmos ejus operi tribuunt.* Addit deinde, Davidem eo consilio sacra illa Carmina nomine Prophetarum suâ etiam ætate recentiorum inscribi voluisse, quod in eam rem hortatorem habuisset intimum, quo afflabatur, Spiritum, magna & hominibus ignota molientem. Revelavit Deus Sancto Regi Prophetas post longam ætatem futuros; quemadmodum olim suo Propheta nomen Josia aperuit, diu antequam pius ille Rex in mundum veniret (i). Cassiodorus, opinionem Augustini tenacissimus, ab ejus mente non recedens, alteri, quam Davidi Psalmos tribuere piaculo dignam opinionem asserit (k). Tandem Euthymius sententiam eorum redarguit, qui Psalmum Moyse, iterumque alterum Salomoni, sicut & Asaph, Core, Eman, Ethan, juxta tituli inscriptionem tribuunt; omnium enim unum Davidem authorem habendum esse arbitrat (l). Gemina habent Cosmas Monachus (m) & Beda venerabilis. S. Hieronymus in Præfat. in Ps. non obscure eandem sententiam præfert: *Quamvis David omnes Psalmos cantasset; tamen omnes Psalmi in persona Christi pertinent.* Sed hujus Scripti authorem alterum esse à S. Doctore jam innuimus, & veram ejus mentem infra aperiemus. Josephum Historicum & Paraphrastem Jonathan cum omnibus priscis Judæis eandem sententiam defendere testatur Perez Comment. in Ps. quamvis, ait, Rabini deserendam censuerint, ut se ab objectionibus Origenis, ex ipsis Psalterii testimoniis petitis, expedirent. Hæc si vera essent, Origenes ipse inter fautores contrariæ sententiæ haberetur; quod tamen in ejus Operum lectione luculenter non patet. Neque Josephus mentem suam satis exprimit; id solum testatus, Davidem pacatis rebus ad pangenda carmina & hymnos varii metri, alios nempe trimetros, alios pentametros, se totum convertisse. Extra controversiam positum est, Autho-

i 3. Reg. 13. 2.  
k Præfat. in Ps. c. 11.  
l Præfat. in Ps. m Cosmus Eyp. 10. 2. nov. Collect. Grac. PP. pag. 223.

res Talmud cæterosque Rabbinos non Davidi tantum, sed aliis etiam pluribus Psalterium tribuere; quam hodie opinionem Hebræos tueri Genebrardus in Psal. c. 42. auctor. Opinionem tanto Scriptorum suffragio fultam, rejiciendam tamen alii nec minori numero & autoritate suscipiunt, contententes, non Davidi tantum, sed aliis etiam Sacris Scriptoribus honorem scriptorum Psalmorum tribuendum. Quare si autoritate res agenda esset, ancipites verfaremur; sed cum Textus Scripturæ, Patrum testimonia, & Ecclesiæ traditio nihil in ea re satis certi habeant & constantis; ideo post sedulam discussionem, que magis probatur, sententiam tenere singularis permissum. S. Hilarius (n) Judaicam Psalterii divisionem in quinque Libros rejiciens, simul reprobatur positam ab illis Psalterii inscriptionem: *Psalmi David.* Mallet enim inscribi Opus: *Liber Psalmorum;* totidemque illius Authores agnoscendos, quot nomina in fronte Psalmorum leguntur: *Unde absurdum est Psalmos David dicere vel nominare, cum ibi Authores eorum ipsis inscriptionum titulis commendantur.* S. Hieronymus in Operibus suis genuinis discretè scribit: *Psalmos omnes eorum testatur Authorum, qui ponuntur in titulis (o).* Et Ep. 139. ad Cypri. *Sciamus errare omnes, qui omnes Psalmos David arbitratur, & non eorum, quorum nominibus inscripti sunt.* Nec minus cum ea sententia Græci Patres congruunt. Pseudo-Athanasius in Synopsi crism instituens Psalterii, discretè asserit, Librum illum, quamvis Davidi nomen præferentem, plures tamen Psalmos completi aliorum operâ scriptos; uti Asaph, Idithum, filiorum Core, Aggæi, Zachariæ, & Eman, quin & plurium Authorum simul, uti omnes *Alleluja* in titulo præferentes. Quod autem Operi titulum *Psalmi David* conciliavit, illud in causa fuisse credit, quod nempe David omnium primus ejus generis carmina scribere aggressus sit; ordinem pariter, tempora, & munera aliorum quorundam Scriptorum, quorum nomina in iisdem titulis leguntur, digesserit. Eadem ferè legas Præfat. in Ps. sub eius nomine paucis ab hinc annis publici juris factâ (p), in qua opinionem eorum, qui Davidi totum Psalterium vindicant, rejiciendam Author arbitrat; tum & Psalmos, quorum in titulis nullius nomen præfertur, ad præcedentis Psalmi Authorem refert; ac tandem 72. tantum Davidi tribuit. Eusebius Cæsariensis [q] tam longe abest ut Psalterium universum Davidi tribuat; ut & Principem illum in medio afflatorum Divino Spiritu Vatum constituat, singulis suo ordine cantantibus, prout Spiritu Sancto animabantur. Canentem autem Vatem alios omnes tacitos & tantum *Alleluja* respondentes auscultasse, ne David quidem excepto, testatur. Scriptos à Davide memorat tantum 72. Psalmos, un-

n Præfat. in Ps. & in Ps. 131. pag. 446. n. 2.  
o Epist. ad Soc. phron. 134.

p To. 2. Collect. Grac. PP. pag. 70.

q Euseb. Præfat. in Psal. pag. 7. 8. & Præfat. in inscriptione Psal. p. 2. Vide & in Ps. 41. & 60. & 62.

undecim à filiis Core, 12. ab Asaph, 2. à Salomone, unum à Moyse sicut & alterum ab Ethan Jezraita. Superfunt 19. nullo inscripti titulo; 15. habentes in fronte *Alleluja*; 17. nullum Authoris peculiaris nomen præferentes. S. Isidorus Pelusota lib. 4. Ep. 182. persuasum habet, Psalmorum Cantores illis pangendis operam non impendisse; sicut qui pangerent, à canendis abstinuisse; interdum tamen utrumque munus ab uno eodemque præstitum. Cum igitur David carmina sua cantaret, inscripsisse credit: *Ode David,* cum verò tantum scriberet, *Psalmus David.* His Patrum autoritatibus accedit recentiorum Scriptorum turba; Rabini ferè omnes & recentiorum Interpretum utriusque communionis plerique, inter Psalmos plures agnoscunt ætate sanctissimi Regis inferiores; nonnullos etiam Davide ipso vetustiores credunt, uti qui nomine Moyse, & Core inscribuntur. Nec sanè aliter suadent Psalmorum inscriptiones, & quæ in illis leguntur res gestæ, ac temporum notæ, quam quod illis Psalmis scribendis plures Authores ab ætate Davidi remotissimi operam suam contulerint. Idem etiam Scriptura insinuasse visa est, cum pari gradu quo Davidem, Asaph constituat. Legimus enim 2. Par. 29. 30. præcepisse Ezechiam Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David & Asaph videntis sive Propheta. Heman pariter & Idithum gradum tenent Prophetarum eisdem Principis (r), non ideo tantum quod scriptos à Davide hymnos cantarent; sed ipsi pariter Divino Spiritu afflati canendos scriberent. Salomon qui Scripturâ teste ad 5000. Psalmos scripsit (s), cur unam vel alteram ingenii sui Lucubrationem in Collectione Psalmorum ad usum Templi destinatâ habere non potuisset? Nec abs re credimus, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, Efdram, Aggæum, Zachariam carminibus pangendis operam navasse, solandis instruendisque populis, muniendisque adversus utriusque fortunæ conatus, felices tristisque, pro variis temporum vicibus. Daniel & Ezechiel in ipsa captivitate scribere aliquid potuerunt; quemadmodum Aggæus & Zacharias; ad quæ potissimum tempora spectare legimus plures Psalmos, quorum Authores ignorantur; neque enim fidem habendam credimus inscriptionibus Originali Hebræo præfixis. Psalmos nomina Adam, Melchisedech, Abraham, & Moyse præferentes horum factus esse probandum Authoribus earum Inscriptionum relinquimus. Viderint Rabini eorumque clientes, quid decem Psalmorum Authores recentent (t) videlicet Adamum, Melchisedechum, Abrahamum, Moysem, filios Core, Davidem, Salomonem, Asaph, Idithum, Ethan. Filios Core ante Davidem constitunt, rati liberos esse à Core ipso genitos, quos Scripturâ teste Divinum prodi-

r 2. Par. 35.  
s 3. Reg. 4. 32.

t Vide Rab. Salom. Lyr. Druf. quæst. Epist. 19.

gium, hiscente ad devorandum ipsorum parentem terrâ, servavit. Porro si eos Scriptores audias, Adam Psalmum 91. digessit, Melchisedech 109. Moyse 89. Salomon 71. Ut aliquid Authorum contrariæ sententiæ rationibus reponamus, illud asserendum est, vulgares illas denominationes, quibus familiari sermone totum Psalterium designari dicimus: *Psalmi David;* *David* sive *Propheta* ait; minoris esse auctoritatis; familiare est enim scitumque, ut nomina ex potissimâ rerum parte deducantur. Nonne Epistolas Ciceronis appellamus, S. Augustini, S. Bernardi præstantium illorum Virorum collectiones, quamquam alioqui plures complectantur Epistolas, vel ab aliis ad illos scriptas, vel etiam ab illis prorsus alienas, sed argumento servientes? Ita pariter altera pars N. T. qua simul continentur Epistolæ S. Pauli, aliorumque, *Apostolum* vel *Epistolas S. Pauli* nuncupamus. Possumus etiam auctoritatem auctoritate, usum usu revincere. Non desunt cum Veteribus quàm plurimis (u) sanior Recentiorum pars, qui *Psalterium* solo eo nomine, vel saltem *Libri Psalmorum*, nullâ factâ Davidis mentione designent. *Psalterium* etiam, Davidis nomine suppresso pluries in N. T. laudatur (x). Ultra quidem fatemur, majorem factorum Carminum partem, quorum Author innoverit ad Davidem spectare; sed omnes eidem Authori tribuendos nullo excepto, vix & ne vix quidem credimus. Inducenda essent alioqui prodigia, que non nisi summâ necessitate jubente admittere oportet. Plures etiam Psalmorum inscriptiones sive rejiciendæ sive ad violentum & minus prout sensum detorquendæ. Quis credat Davidem Prophetæ Spiritu abreptum, non ad prædicendam tantum captivitatem Babylonicam se conferre, sed describendam pariter, & veluti in medio captivorum versandum, implorandamque à Deo veniam, quasi sollicit sceleribus suis illum in se turbinem provocasset; pingere etiam Babyloniorum crimina; de injusta eorum oppressione queri; rogare Dominum ut obstructam olim Davidi fidem suam liberet, illius Principis genus Regno restituat, Israelcem in suam regionem reducat; futuram decem Tribuum cum Juda conjunctionem prædicere; Levitarum querelas super everfione Templi, eorumque ad Babylonios, ad canenda carmina Sion invitantes, responsa narrare? Quis scriptos à Davide Psalmos crederet, ut Domino gratularetur de recepto concessæ à Cyro libertatis nuncio; sicut & alios recreandis in itinere Israelitarum à captivitate redeuntium animis? Quis Davidem Authorem dixerit Carminis pro adventu Israelitarum in Palestinam, dedicatione Secundi Templi, & reparatione ac dedicatione moenium Jerusalem? Tanta ne facillè Lectorum animi capient? tanta mens æquo de rebus judicio ferendo assuetâ patietur? Nihil horum quidem impossibile, fateor; sed plura sunt; quæ fieri cum possint, vix tamen, ac

u Origen. Hieron. Nazian. Cyril. Hieron. Innoc. 1. Damasc. Niciph. &c.  
x Act. 1. 2. Luc. 24. 44. Ephes. 3. 19. Coloss. 3. 16.